Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

109

facte in mentibus prophetarum ad significanda futura. quales fuerunt uacce et spice quas uidit pharao. et arbor et statua quam uidit nabuchodonosor. Talis itaque uisionis manifestatione monstrata est diuina prouidentia uel potestas per angelos gentes disponens. uisionis dico primum reuelate angelis a deo. et deinde continuo per angelos reuelate sacris uiris daniel scilicet et ioseph ex deo. Sequitur. Unum est enim omnium principium et prouidentia. uel nullomodo estimandum. quidem iudeos pleniter duxisse diuinitatem. angelos autem specialiter aut eque honorabiliter aut oppositos. aut deos quosdam alteros. imperare aliis gentibus. Repetitio probat quod superius dixit. quia unum est principium uel prouidentia omnium. id est unus deus a quo sunt omnia. et per quem reguntur uniuersa. et ideo nullomodo estimandum est diuinitatem duxisse iudeos. hoc est ducatum prebuisse iudeis. pleniter uel absolute. hoc est per semetipsam scilicet siue mediante angelorum ministerio. Aliis autem gentibus imperare angelorum specialiter: hoc est particulariter. siue minus excellenti potestate. aut eque honorabiliter. hoc est potestate equali uel consimili diuine dominationi. aut oppositis subauditur imperius. quemadmodum apostata angelus dixisse legitur. sedem se ad aquilonem positurum. et altissimo potestate futurum consimilem. aut etiam non est estimandum alteros quosdam deos imperare aliis gentibus quasi unius et ueri dei potestati uel dominationi omnia subiecta non sint. Non est inquit ita estimandum quasi in solis iudeis uerus deus habeat. et aliis gentibus siue angelis. siue alteri quidam dii. siue equales. siue inequales. contraria tamen et extraria diuine dominationi imperent potestati. Vel sic legatur. Nullomodo estimandum diuinitatem per se ipsam. sine interposita subiecta potestate angelica iudeis ducatum prebuisse. angelos autem aliis gentibus imperasse specialiter hoc est particulariter. scilicet in gentibus potestate et dignitate inferioribus quam ipsi iudei fuerunt. aut eque